



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

Formula orationis mixtæ continens expositionem orationis Dominicæ Pater
noster

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

Deum, alias interrogando Dominum nostrum Jesum Christum, quandoque etiam per apostrophem alloquendo animas nostras, atque alia hujusmodi faciendo.

§. Produces affectus, juxta quod illi in corde tuo enascentur, absque alio ordine præter illum, quem ipsa materia præbet. Illi autem proprii esse debent, atque ex ipsa deducti materia, non verò aliunde violenter atque artificiosè petiti. Denique præ cæteris fovendi sunt illi, qui animam ad virtutis ac mortificationis exercitationem impellunt, neque unquam omittenda aut oblivioni tradenda sunt bona proposita, quæ sunt quasi fructus orationis, semperque à Deo petenda est gratia illa executioni mandandi. Hac in re quis statum suum ac necessitatem observabit. Orationis hujus faciendæ methodum amplius edocēbunt sequentes formulæ.

CAPUT XXVI.

*Formula orationis mixtæ continens
expositionem orationis Dominicæ
Pater noster.*

Directio.

Laudabo & orabo te, Domine, eadem, quam tu ipse me docuisti, oratione. Illam indubiè audies, atque aurem illi præbebis: quia nos illam non docuisti, nisi ut ipsam dicamus. Da mihi, obsecro, gratiam ea, quæ in illa continentur penetrandi, illiusque beneficio

facio mihi vivum atque indeficiens te amandi, meliusq; tibi ac melius inserviendi desiderium inspira ; hic enim finis est, ob quem nobis, illam ut diceremus commendasti.

Pater.

Pater æterne, Pater summe, Pater omnipotens, Pater infinite, Pater misericordiarum, Pater, qui verus amicus noster ac legitimus Dominus es: Pater, qui nos in corde tuo amorofo descriptos geris, Pater, qui nos creasti, qui continuò conservas, qui nutris, qui Angelos tuos nobis veluti infantibus concedis Prædagogos ac Præceptores, qui nostris necessitatibus ita intendis, ut numerum scias capillorum nostrorum, ita ut ne unus quidem pereat absque singulari providentia tua, Pater denique, qui nobis tanquam filiis tuis dilectis cœlestem præparas hæreditatem. Suavissimam atque ineffabilem demitqr bonitatem tuam, quæ facit, ut cum homo non sit nisi exiguum lutum, miseriarum compendium, omnium peccatorum ac scelerum receptaculum, tu ab illo nihilominus Pater potius quàm Deus, ac Dominus nominari velis.

Ego, ô Pater cœlestis, ego te agnosco Patrem vitæ meæ. Quantæ nobilitatis es, anima mea, quod Deum habeas Patrem, illiusque tu filia existas? Attende ac vide, originem te ducere è cœlo, indolis te esse sublimioris illis omnibus, quæ cernis hic in terris. Quæ igitur ratione jam fieri poterit, ut sensuum tuorum corporeorum oblectationibus

R. 5 velis

velis adhærescere? Annon æquum est, ut nobilitatem tuam præ te teras, nihilque conditione tuâ indignum committas? Etiam, mi Pater, qui verè Pater meus es, ego deinceps moribus & actibus meis ostendam, te esse Patrem meum, tuumque me esse filium, præceptis tuis obediendo, tibi que per imitationem, quantum quidem creaturæ permittet conditio, me quàm simillimum constituendo.

Noster.

Pater cælestis, tu solus es, de quo dicere possumus, quia *noster* es, quia quidquid est extra te, hoc etiam nobis esse debet nihil. Verùm cur voluisti, ut quilibet nostrum te compellendo dicat *Pater noster* nomine generali, non verò in speciali *Pater mi*? Meo quidem iudicio id ita voluisti, Domine, quia cupis, ut omnes homines se mutuo diligant ut Fratres, ac veluti ejusdem familiæ proles, sicut tu communis omnium Pater es. Nunquid etiam idcirco ita ordinasti, ut hæc ratione nostram dejicias superbiam, prohibeasque, ne pauperes contemnamus, qui æquè fratres nostri, tuique sunt filii atque divites ac mundi magnates? Nonne & ideò ita constituisti, ut nos hac ratione impelleres ad fraternam in eundam societatem cum nativo tuo filio Jesu Christo, cum Virgine sacratissima, cum Seraphinis, Cherubinis omnibusque Sanctis tuis? Quia ubi te *Patrem nostrum* appello; quid dico aliud, nisi te Patrem meum & Patrem esse Jesu Christi? Patrem meum & Patrem gloriosissimæ Virginis? Patrem meum & Patrem
Sera-

Seraphinorum, Cherubinorum, omniumque Angelorum ac Sanctorum? ac proinde eorum omnium ego frater existo. Prò, quantus honor, quàm admirabilis, quàm cœlestis cognatio!

Qui es in cœlis.

OCulos ad te meos elevo, Pater, qui verè Pater meus es, ad te, *qui habitas in cœlis.* Non quidem, quasi non existas ubique, sed quia voluisti, ut corda nostra sursum attollamus, teque particulariter contemplemur in cœlis, qui locus est æternæ nostræ felicitatis. Illic enim cum Sanctis tuis regnas, illic beata est patria nostra, ad quam suspirare nos oportet, quoad vivimus in exilio in hac lacrymarum valle, quam sæpè cogitatu invisere, omnia nostra illuc desideria conferre debemus. Iluc interiorem conversationem nostram, ne fortè fallacibus infirmioris vitæ hujus deliciis adhærescamus, dirigere debemus, veluti fecerunt omnes fideles servi tui qui dicebant; *Nihil D. Greg. jam nos delectet in infimis, qui Patrem habemus in cœlis.*

Sanctificetur nomen tuum.

HOc age, mi Deus, ut universus te orbis adoret: ut universæ nationes ad sanctam fidem tuam convertantur: ut impiorum blasphemiæ finem accipiant: ut omnes te Christiani verâ cum fide honorent, sincerâ tibi pietate ac Religione inserviant; ut denique eam nos de te concipiamus existimationem, quam tua magnitudo divina ac Majestas meretur.

San-

Sanctificeris in me ipso, sanctificando animam meam, cunctaque desideria ac affectus meos ad te unum trahendo.

Jube, ut omnia opera, verba atque actus mei te glorificent, ostendantque me Patris tui boni haud indignum esse filium. Vanam meimetipsum existimationem, amorem proprium ac superbiam penitus à corde meo revelle, ut tuam in omnibus gloriam purè quæram. Invidiam refeca, ut gaudeam, ubi alii tibi melius me inserviunt; dummodò enim nomen tuum benedictum sanctificetur, parum refert à quo, aut per quem id fiat.

Adveniat regnum tuum.

ECce aliud desiderium ac votum, quod concipio, Domine Deus meus, nimirum sicut ubique tu regnes, absque ulla deinceps ullius creaturæ resistantia, ut reverà mereris. Tu jam tum regnas in cœlis cum Sanctis tuis. Da ut & ego aliquando regni hujus æterni particeps esse promerear.

*Regnum
cœlorum.*

*Regnum
Ecclesiæ.*

Regnate te quoque oportet in Ecclesiâ; Jube igitur, ut regnum ac potentia Ecclesiæ tuæ ad universos fines terræ se extendat. Hæreticos extirpa, infidelium furorem prosterne, atque hoc age, ut omnes homines coram tua divina Majestate genua sua flectant,

*Regnum
interius
anima.*

Regnare quoque debes in anima mea. Ecce, mi Deus, omnes illius portas tibi refero. Age, age bonis avibus tu Rex meus esto, hoc enim præ cæteris rebus omnibus unicè exopto. Veni, ingredere, impera, dominare, regna in corde meo absque ulla contradictione. Quod si qua

si qua exurgat, gratiam mihi tuam concede, qua illam superem, ut Regnum tuum sit pacatum: omne enim desiderium meum est, ut integrè à divino tuo spiritu possideri me intelligam.

*Fiat voluntas tua sicut in cælo &
in terra.*

ETiam, Domine, da mihi gratiam tuam sanctam in omnibus adimplendi voluntatem, quandoquidem supremum te Regem meum agnosco. Docilem ac tractabilem me redde ad sequenda præcepta tua, ad evitandum quidquid tu vetas, ad pœnas & afflictiones omnes à te mihi immittas tolerandas, atque ad sanctis inspirationibus tuis obtemperandum. Noli attendere ad naturales repugnantias illas, quas aliquando experior: illis enim consentire non intendo, sed & divina voluntas tua semper in me fiat. Probè novi, Domine, te, qui Pater meus es vigilantissimus & verus amicus, nil velle posse, quod mihi perquam commodum non sit. Omnino malo tuam quam meam fieri voluntatem, ego enim quæ saluti meæ contrariantur sæpe volo. Vivat ergò, vivat, Domine, optima, amabilissima, perfectissimaque voluntas tua, omniaque contraria desideria in nihilum redigantur. Tua in me voluntas fiat eo modo, si fieri posset, quo Salvator noster, illiusque sanctissima Mater illam impleverunt, atque Angeli in cœlis etiam modò implent, id est, cum gaudio, cum amore, atque invariabili cum perseverantia.

Panem

*Panem nostrum quotidianum da
nobis hodie.*

*Primum
genus pa-
nis.*

Quandoquidem Pater noster tu es, tam quoad animam nostram quam corpus, utriusque necessarium nutrimentum largire. Da igitur nobis primò ea, quæ vitæ nostri corporis sustentandæ necessaria sunt: da, inquam, hodie, pro die enim crastina providentia tua nobis prospiciet, tuque ipse pro crastino sollicitos nos esse veras; præcipuè ubi etiam, num cras victuri simus, ignoramus. Panem à te petimus, non verò elcarum delicias; necessaria, non superflua: Promitto tibi fore, ut alià nunquam intentione tibi utar, nisi ut hanc miseram vitam, quoad tibi placuerit, sustentem: omnibus sensualitatis appetitibus renuncio. Id quod in mensa appositum mihi fuerit, sumam tanquam à te mihi donatum absque ulla distinctione dulcis aut amari, saporis aut insipidi, tibi infallibiliter gratias reddendo æquales pro utrisque. Pro me peculiariter atque imprimis peto gratiam dignè semper sumendi panem Angelorum, panem illum *super-* *substantialem*, & vivum, pretiosissimum videlicet corpus Domini nostri Jesu Christi, ut ille me totum transformet in se, ut ita deinceps Deiformis ac Deificatus per occultam atque admirabilem divini Sacramenti hujus virtutem evadam.

*Alteram
genus
panis. 1*

Matth. 6.

II.

ἐπιουσιον

*Tertium
genus
panis.*

Da denique etiam animæ meæ nutrimentum spirituale sacratissimi verbi, sanctissimorumque tuorum luminum, in oratione illam æternâ atque inalterabili vitâ vivificando, quia præcipua hominis vita in anima, non in

cor-

corpore est, dicente Salvatore meo : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Matth. 4.
4.

*Et dimitte nobis debita nostra, sicut
& nos dimittimus debitoribus nostris.*

PEccata quæso mea, Domine. te non impediunt, quo minus tuas gratias mihi elargiaris, de illis enim ex toto corde meo doleo, veniamque contrito verèque humili corde à te peto. Cæcitatem, passiones atque effrenatas licentias præteritæ vitæ meæ detestor. Omnes cogitationes, locutiones atque operationes contra divinam Majestatem tuam à me factas abdicò ac repudio. Rogo te, ne mihi imputes complura peccata occulta, & defectus absconditos, quos commisi sine numero ac per imprudentiam. Ignosce mihi etiam peccata aliena, quorum causa fui malo exemplo, sive etiam consilio. Ignosce mihi, sicut ignosco omnibus illis, qui me offenderunt. Ego integrè & absque ulla exceptione, aut restrictione illis ignosco, nunquid igitur & tu eandem mihi exhibere teneris misericordiam? Nunquid tuiple dixisti, *dimittite & dimittimini?* Luc 6 37. Verùm ego ex parte mea dimitto, & tu igitur, Domine, promissum tuum exolve.

Et verò si à mea tu exigis infirmitate integram remissionem totalemque proximo meo veniam indulgendam, nunquid similem ego potius expectare à tua debeo omnipotentia ac magnitudine? Ignosco, quia id tu mihi mandas, ignosce igitur & tu, quia potes, O felix
proxi-

proximi nostri adversum nos offensa, per quam nos exolvimus debita nostrarum adversus Deum offensarum!

Et ne nos inducas in tentationem.

NE permittas, inquam, ullam mihi accedere tentationem in priorum meorum punitionem peccatorum; si qua verò mihi pro mea probatione atque exercitatione obveniat, fortitudinem tu mihi atque illam vincendi gratiam concede. Non ignoro, mi Deus, ipsam te esse bonitatem ac sanctitatem, proindeque nullum à te impelli in malum; quin potius è contrario tu nobis liberaliter atque accuratè omnia ipsam evitandi media præbes. Noli me ergo derelinquere in pravis cogitationibus illis, quas mei mihi suggerunt inimici. Ne patiaris, ut sensus rebellionis adversus tua sancta mandata transeant in consensum. Extingue in me ardorem concupiscentiæ, qui me inducit ad peccandum. Vanitates, quæ meam voluntatem ad mundana inclinant, à me abaliena. Potentiam tuam conatui Cacodæmonum oppone, qui horribiliter & crudeliter per talem vel talem tentationem me oppugnant cum certa me perdendi intentione, utpote qui sicuti tui honoris ita meæ sunt salutis inimici: Ex mea quidem parte tibi promitto, fideliter in mei custodiam me invigilaturum, primisque tentationum insultibus restitutum.

Sed

Sed libera nos à malo.

Quid debeo intelligere per hoc malum, à quo vis petam, ut me liberares Domine? Intelligo primò malignum spiritum, è cujus faucibus jam tum me eripuisti, ubi me ad sanctam hanc Religionem vocasti. At meritò timere debeo, ne, ubi in peccatum recidero, in illius quoque subjectionem, ac tandem damnationem relabar. Libera me ergò, obsecro te, ab omnibus hisce malis, plagis medere præteritarum mearum offensarum, gratiam mihi concede, ne in illas relabar, à pœnis Inferni horrendis me præserva, neque, ut æternùm te te priver, permitte.

*Gracius
textus
habet
ἀλλὰ
ῥῶσας
ἡμᾶς
ἀπὸ πῶ-
νης.*

Nunquid alterum malum, quod intelligere debeo hoc loco, est tumultus atque immoderatio mearum passionum? Haud dubiè, Domine, neque sanè immeritò, quia ex hac maligna scaturigine omnes defectus ac peccata mea promanant. Animam ergo meam ab omnibus illius passionibus, atque internis tumultibus purifica: mentem abstrahere ab omnibus evagationibus, cogitationibus & curis supervacaneis. Etenim (eheu!) quid mihi prodesset conscientiam meam tuâ gratiâ mediante eluisse, si illam rursus inquinarem? Cor ergò & affectus meos perfectè purifica, atque ut omnia in hoc mundo, quæ tibi placuerint, patiar, concede, ut nihil purgandum, patientiūque pro futura vita remaneat, quin potius in hujus miserissimæ vitæ termino liberet à malo sempiterno, ut æternam tui capiam possessionem, Amen, hoc est fiat.

S.

Con-

Consequenter ad ista, bona erunt super rebus quibusdam in particulari concipienda proposita, eliciendique actus oblationis ac petitionis, ut gratiam à Deo illorum exequendorum consequamur.

CAPUT XXVII.

Alia mixtæ orationis Formula continens expositionem salutationis Angelicæ Ave Maria.

Ave.

Saluto te, Virgo gloriosissima, eodem cum respectu ac reverentia, quâ te salutavit Archangelus in die Annunciationis tuæ. Eodem te sensu & affectu honoro, quo te honoravit per dilectus tuus sponsus Josephus triginta annis illis, quibus tecum remansit. Revereor te eadem cum tenerritudine, aut saltem in unione affectus, quo erga te exarsit, quemque palam tibi exhibuit dilectissimus filius tuus Dominus noster Jesus Christus. Cum omnibus te Sanctis collaudo, tibi que salutationem istam totâ eâ devotione præsentem, quâ unquam illi te salutârunt, quin & in unione illiusmet salutationis, quam Pater æternus ad te transmisit, amorisque, quo tibi illam præsentavit.

Saluto te in immaculata Conceptione tua, in qua ab omni fuisti peccati originalis labe præservata, atque exempta. Saluto te in gloriosa Nativitate tua, in qua mundo virtutibus & gratiis illustrissima apparuisti, tanquam aurora